

## CARMINA PARENTINA

### II

#### Finis symphoniae

Horae solares carmen suum finiunt.

In alis languidis parvarum cicadarum  
dactyli cum iambis

serenam finem  
tenere inveniunt...

\*

#### Nox aestiva

Lumen

tremulum  
immensum lunae  
in undis maris lucet.

Immensa imago pulchritudinis  
in corde splendet.

Cor parvum infandum sentit,  
dum lucentia omnia,  
dum vitrea omnia  
excitant somnia.

Pinus odoratae de sole somniant  
et comæ earum  
cantu adsiduo aliquid susurrant  
et ut matres digitulis umbrosis  
permulcent dulce ridentia ora  
Zephyrorum languescientium  
in ramis obdormiscentium.

\*

[Parentii, *Id. Aug.* MCMLIX]

Zagreb.

T. Smerdel.